





INES
E.


1107

1107









43. 69
Q. D. B. V.

DE

VIRTUTE
MORALI,

DISSERTATIONEM

Adspirante Numine Sanctissimo

In

Illustri Leucoréa,

PRÆSIDE

M. ADAMO Erdmann M I R O,

Adorfia Varisco,

Publicæ φιλοσοφείων συζητήσε
exhibebit

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS Reibstahl

Tschornvitz. Sax. Phil. Cand.

d. 14. Octobr. A. M DC LXXXII.

WITTENBERGÆ,

Typis Viduæ Brüningianæ.



Proœmium.

Sterile Virtutis seculum est, paucique reperiuntur, qui dignitatem ejus splendoremque admirantur. Omnia in pejus ruunt, morumque illa, quæ semel irruit, detestanda barbaries sua indies incrementa videtur sumsisse. Sunt, qui otio pecudum more, quas natura ad pastum abjecit, sordidè adhærescunt, ingeniique vires effœminatâ perdunt mollitiæ. Alii studium suum nummis congerendis devovent, aurique & argenti adeo sunt cupidi, ut istos non æstus, non hyems, non ignis, non mare, non deniq; ferrum à lucro dimovere possit. Nec desunt, qui laudis amore tument, hiantiq; ore honorum auras captant. Aliam antiqui mentem habuerunt; Nunquam isti hæc fortunæ ludibria admirati sunt; Virtutem, quâ nihil pulchrius, nihil formosius, nihil amabilius, unicè expetendam duxerunt. Audi Ciceronem Romanum illud eloquentiæ exemplar: Eos, inquit, 2. Offic. viros suspicimus, maximisque efferimus laudibus, in quibus existimamus excellentes quasdam & singulares perspicere virtutes. Despiciamus autem eos & contemnimus, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putatur. Quamobrem contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri profunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. Admiratione autem quâdam afficiuntur ii, qui anteire cæteris virtutibus putantur. Sicuti verò virtutis possessione nulla magis honesta est; ita tam altis defixa radicibus est, ut nec eripi, nec surripi possit, neque naufragio, neque in-

cendio, neque furto amittatur, nec tempestatum, nec tem-
 porum permutationibus mutetur. Hæc qui præditi sunt,
 soli sunt divites: Sicut enim rem possident & fructuosam
 & sempiternam: Ita omnes humanos casus contemnere,
 omnem fortunæ impetum superare possunt, cumq; Biante
 læto exclamare animo: Omnia mea mecum porto. Quan-
 ti hanc Virtutis Constantiam æstimet Isocrates, ex subse-
 quentibus ejus verbis apparet: Ἀρετῆς, inquit Orat. I. ad Dæ-
 mon. ἔδεν κτήμα σεμνότερον, ἔδὲ βεβαιότερον ἐστὶ. Καί μὴ γὰρ ἡ χρεὼν
 ἀνάλωσεν, ἡ νόσος ἐμάρανε. πλεῖστον δὲ κακίας μάκρον ἢ καλοκαίριας
 ἐπιχρήτης ἐστὶν: ἐξασίαν μὲν τῆ ῥαθυμίας ἀφρασευαζών: ἔπι δὲ τοῖς ἡδο-
 καῖς τὰς νέας ἀφρακαλιῶν. ῥώμην δὲ μὴ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἀνευ δὲ
 ταύτης πλείω τῶν ἐχούσας ἐβλάψεν: καὶ τὰ μὲν σώματα τῶν ἀσκήτων ἐκόσ-
 μησε, τοῖς δὲ τῆ ψυχῆς ἐπιμελείαις ἐπεσοκότησεν. Ἡ δὲ τῶν ἀρετῆς κήσις, οἷς
 εἰν ἀκιδήλως ἐν τοῖς ἀφροναῖς συναυξηθῆ, μόνη μὲν συγληρόσκη; πλε-
 τα δὲ κρείττων, χρησιμωτέρη δὲ ἀφροναῖς ἐστὶ. Quæ cum ita sint, non
 pigebit in præsens virtutis naturam paulò accuratius con-
 templari. DEUS nostris benedicat laboribus ex alto.

§. I.

ANtequam ipsam rei tractationem suscipiamus, consueta Me-
 thodus postulat, ut prius ὀνοματολογίας rationem habeamus.
 Ὄνομα enim juxta vulgatum illud ὄργανόν ἐστὶ διδασκαλικόν τῆ ἐσίας
 & evolutione nominum, quæ sunt rerum involucra, non rarò ad i-
 ipsius rei cognitionem pervenimus. Hoc autem commodius fieri
 non poterit, quam si vocem *Virtutis*, ut jubent leges, juxta *Etymo-*
logiam, Homonymiam & Synonymiam examinaverimus.

§. 2. Ab Etymologia ut ordiamur, in confesso est, *Virtutem*
 non deduci, ut Durando placet, à *Vi* seu *violentia*, quia huic cum
 virtute, in quâ omnia sunt libera ac voluntaria, planè nihil commer-
 cii est; nec à *statu viri*; Hæc enim derivatio juxta *Heiderum Phil.*
Moral. Part. II. figmentum propè ridiculum est. Sed nomen suum
 accipit vel à *viribus*, quas virtus in se continet; vel (quæ derivatio
 cum *Cicerone lib. 2. Tusc. quest. & Varron. lib. 4. de ling. lat.* nobis
 magis arridet) à *viro* dicitur, quia virum maximè virtus decet. *Mo-*

ralis

ralis verò à moribus vocari solet, quia in formandis atque perficiendis hominum moribus occupata est.

§. 3. Ordine jam tendimus ad *Homonymiam*, quæ tanto diligentius evolvenda, quanto magis non evoluta parit dubia. Sumitur autem vox virtutis variis modis. Primo *tropicè* accipitur, si vel per Synecdochen fortitudinem, aut alias virtutis species designat: vel per Metonymiam præmia virtutis, aut virtute præditos notat: vel per Metaphoram virtutum simulachra in brutis exprimit. Deinde *magis propriè*, quando tribuitur (1) Deo eminenter & independenter, ut cum Beneficus, Justus, Verax, Misericors &c. vocatur (2) Angelis, unde in sacris literis sæpe dicuntur fortes, temperantes &c. *Tertio propriissimè* competit Hominibus. Cum autem duæ facultates animæ sint, & utraq; egeat ductu, informatione & directione ad munus suum rectè obeundum, hinc vulgaris divisio nata est apud Philosophos, ut duplex dicatur virtus, quæ utriq; facultati, Intellectui scilicet, & voluntati superaddita succurrat. *Intellectualis* regat, disponat, ac juvet Intellectum; *Moralis* dirigat ac juvet voluntatem, sive appetitum rationalem, ne quid velle videatur homo, nisi quod honestum & bonis moribus conveniens. Atque de hac solummodo nobis sermo est. Cæteras Virtutis acceptiones, ubi *modò* significat vim, efficaciam & operationem rerum tam animatarum, quàm inanimatarum; *modò* qualitatem corporis, ut sunt robur, pulchritudo, sanitas &c. missas facimus.

§. 4. Restat Synonymia, ubi observandum, quod *Hebræis* dicitur מִשְׁרָטָה à radice מִשַׁרַּט mensus est vel mensuravit, annotante *Daneo lib. 1. Eth. Christ.* Indicant autem hac appellatione, Virtutem esse tam mensuram *activam*, quia mensurat & distinguit actiones humanas, quàm *Passivam*, quia mensuratur secundum leges. *Græci* eam vocant (1) Ἀρετήν quæ vox ita dicitur vel ab ἀρεῖομαι quasi ἀρετή, quia præ omnibus rebus Virtus est expetenda; vel ἡ μετὰ θεοῦ ab ἐργῶ ἐρετή quod amabilis sit; vel ἡ ἀρετή à tollendo, quod animum ad summa attollat; vel ab ἀρέσω placeo, quod omnibus placeat; vel ἡ ἀρετή à Marte, quia sæpè fortitudinem designat. *Platoni in Cratylo* vocatur ἡ ἀρετή ἡ αἰεὶ ῥέειν quasi αἰεὶ ῥέειν semper fluens & sui similis. (2) Καλοκαγαθίαν i. e. habitum bene agendi. (3) Σπῆρδὴν quasi dicas animi singulare exercitium & indu-

dulstriam. (4) *ἡθική ἢ δικήν καὶ ὀρεκτικήν.* *ἡθική* appellatur vel *ὑπό τῶν ἡθῶν* à moribus, quos informat, unde & ipsa, & disciplina de eâ moralis dicitur, quam appellationem *Cicero* primus ei attribuit, ut testatur *in lib. de Fato.* *ὀρεκτική* vocatur ab appetitu, quam sedem & quod subjectum primario habet. *Latini* in exprimenda Virtute adhibent vocem *Honestatis* ab honore, quod viris virtute præditis honos exhibendus sit. Appellitant eam quoque *Integritatem*, quia Virtus Moralis integrum & perfectum reddit hominem. *Germanis* dicitur *die Tugend* à *Tügen* vel *Taugen* / quod æstimatione digna sit & magno in pretio habenda.

§. 5 Dum autem, relicto nomine, ipsam *πραγματολογία* aggre-
dimmur, observamus statim in limine, quod antiqui Philosophi in
exprimenda virtutis natura non unam eandemque sententiam olim
subsecuti fuerint. *Epicurei* Virtutem dixerunt *constantem disposi-*
tionem eliciendi ex unoquoque congruentem voluptatem. *Platonici* qui
omnia ad divinam mensuram tanquam rerum causam retulerunt,
Virtutem descriperunt per vivum *Characterem* & effigiem ejus *Ideæ*,
quæ est in mente Dei, sed in hominis animo impressa, nos ad benè agen-
dum excitat & dirigit. Neque ignotum est, quod *Stoici* *Virtutes*
appellarint *Vacuitates* quasdam *perturbationum*, animiq; *tranquilli-*
tates. *Aristoteles* 2. *Eth.* 6. talem Virtutis Moralis definitionem
tradit. *Ἄρετή ἐστὶν ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι ἕσασ, τῇ πρὸς ἡμᾶς,*
ὡς ἐπιλήρη λόγῳ, καὶ ὡς ἀνὸ φρονιμοῦ ὁρίσσειε. Hoc est: *Virtus est ha-*
bitus electivus in mediocritate, quæ quoad nos à viro prudente secundum
rectam rationem determinatur, consistens.

§. 6. Hanc Philosophi definitionem sicuti propter ἀκρίβειαν
quam continet, amplectimur; ita more recepto eam in *Genus* &
differentiam resolvimus. *Genus* his circumscribitur verbis: *Virtus*
est habitus proæreticus seu electionis. Virtutem esse *Habitu*, cum
Philosopho 2. *Eth.* 4. & *M. M.* 7. ita probamus: Quicquid animo no-
stro inhæret, illud aut *πάθος* est, aut *δύναμις* aut *ἕξις*. Hæc enim
Propositio ideò vera censi debet, quia hæc tria tantum in animo
inveniuntur tanquam actionum principia; Et quamvis animo
plura insint, utpote *ἐνέργειαι*, *κινήσεις* operationes, notiones, ac pri-
mi motus, non tamen actionum sunt principia. Sed Virtus *πάθος*
non est; id quod liquet (1) *ex Proprio Virtutis.* Nam propter vir-
tutem

tutem dicimur & sumus boni & mali; propter affectus verò, q̄ naturâ suâ ἀδιάφοροι sunt, minimè. (2) *ex consequente Virtutis*. Nam propter virtutem simpliciter laudamur & vituperamur; propter affectus verò seu perturbationes nunquàm. (3) *ex Causa*, quia virtutes & vitia vel sunt *προαιρέσεις*, vel non sunt sine *προαιρέσει*. Sed in affectibus nullū datur Consilium, nulla electio: perturbamur, irascimur, & metuemus sine Consultatione & delectu. (4) *ex Effectu* denique, quia à virtutibus non movemur sicut perturbationibus, sed solummodo afficimur. Neque Virtus est Δύναμις seu Potentia naturalis. Naturalis enim potentia (1) per assuetudinem est immutabilis (2) actus potentiis naturalibus posteriores, & (3) circa δυνάμεις φυσικὰς nullæ occupantur leges. At verò virtus mutari potest, dum (α) ex virtute prædita fit vitiosus (β) non præcedit, sed sequitur actiones, & (γ) certis legibus præscribitur. Relinquitur ergò quod sit ἐξῆς. Atque hæc sententia latius probatur *partim* ex definitione *Habitus* applicatâ ad virtutem, quia est qualitas diu permanens ac difficulter mobilis, quâ promptus fit homo ad faciliè exercendas actiones honestas: *partim* ex iis, quæ ad naturam *Habitus* spectant, ut sunt (1) φύσις naturæ aptitudo. Ad quod enim naturâ inepti sumus, nunquam per habitum acquirimus (2) μάθησις præceptorum perceptio, quibus ceu mediis comparatur Virtus (3) ἀσκησις crebra præceptorum praxis. Atque tria hæc requisita sive media ipse *Philosophus lib. 7. Polit. c. 13.* inculcat, cum inquit: Σπασδαμοὶ γίνονται ἀπὸ τῶν τελειῶν. Τὰ τελεῖα δὲ τῶν τελειῶν ἐστὶ φύσις, λόγος καὶ ἔθος. Causam *Plutarchus lib. de Pædagogia* reddit, Ἡ φύσις, inquiens, ἀνευ μάθησις τυφλὸν, ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως ἐπιληπὲς, ἡ δὲ ἀσκησις χωρὶς αἰμοφοῖν ἀπέλῃς. Unde tritum illud: *Natura incipit, ars dirigit, usus perficit*. Cum itaque hæc tria, ut in cujuscunque rei habitu; ita & in Virtutis generatione necessaria sint, & illam esse Habitum infal-libiliter colligitur.

§. 7. Sed veritati hæctenus astructæ præter eos, qui Virtutem vel affectum vel potentiam esse volunt, non solum contrariantur ii, qui virtutem moralem per *scientiam* definiunt, sed etiam *Scotus*, qui *qu. 18. art. 1. in quodlibetis* statuit, Virtutem esse *Relationem conformitatis cum natura & recta ratione hominis* Argumenta ejus duo imprimis sunt: *Primum* est, quia *Aristoteles lib. 7. Phys. t. 17.* ait, virtutem omnem

mnam & vitium esse *deus* & relationem. *Secundum*, quia unus idem-
 que habitus moralis successivè esse & bonus & malus potest, adeo-
 que vitium & virtus mutatâ tantum relatione conformitatis & de-
 formitatis ejus ad rectam rationem. Quod probat *Scorus* habitu ab-
 stinentiæ, qui, acquisitus ex erroneo rationis dictamine, postea pos-
 sit esse bonus, inclinando ad actus abstinentiæ ex recto rationis
 dictamine. Sed respondemus ad primum argumentum *Scoti*, quod
 distinguendum sit inter relationem secundum esse sive propriè di-
 ctam; & inter relationem secundum dici vel impropriè talem. De
 hâc, non de illâ loquitur *Philosophus* loco allegato. Ad secundum re-
 spondet *Thomas Cajetanus*, falsum id esse, unum eundemque habi-
 tum, qui ante per actus abstinentiæ vitiosos generatus fuit, postea
 inclinaturum ad actus abstinentiæ bonos, accedente prudenti ra-
 tionis dictamine. Sed fieri in tali casu, ut alius casus abstinentiæ
 essentialiter bonus acquiratur per illos alios bonos abstinentiæ a-
 ctus; qui habitus ex naturâ suâ inclinabit non modo ad abstinen-
 dum absolutè, sed etiam ad abstinendum benè, secundum omnes
 circumstantias debitas. Cæterum istorum sententiam, qui Virtute-
 m Moralem per *Scientiam* describunt, stare non posse salvâ veri-
 tate, quilibet me etiam tacente animadvertit. Etenim *Scientia* ad
 Intellectum pertinet, virtus verò ad voluntatem; Illa bonis pari-
 ter atque malis communis est; Hæc verò ad bonos solummodò
 pertinet. Apparet proinde luculenter, Virtutem non posse, nec
 debere dici *Scientiam*. Recte itaq; *Philosophus c. 4. Eth.* dicit *Scien-
 tiam*, quæ in Contemplatione consistit, aut parum aut nihil prodesse
 ad virtutem.

§. 8. Dicimus prætereà in definitione, Virtutem esse habi-
 tum *proæreticum* sive electivum, quia virtus est talis Habitus, qui
 per actiones præelectivas, & cum deliberatione institutas acquiri-
 tur. Atque ex his simul apparet, Virtutem Moralem *principaliter*
in voluntate non autem in appetitu sensitivo residere. Quamvis
 enim *Picolominens Grad. 4. c. 8. p. 283. Thomas Sagittar. lib. 2. Exerc.*
Eth. 7 p. 104. Heerb. disp. ib. §. 7. Cruciger. hort. vir. qu. 29. p. 80. omnem
 virtutem simpliciter ad *appetitum sensitivum* tanquam ad subjectum
 referant, multæ tamen eæque firmissimæ rationes evincunt, eam
principaliter in rationali appetitu seu voluntate suam habere se-
 dem.

d em. Etenim Virtus Moralis (r) describitur per Habitum *ἡθελῶν*. Atqui *ἡθελῶν* non appetitui sensuum, sed voluntati competit, Ergò. (2) Quicquid est subjectum libertatis primarium, illud quoq; est subjectum primum eorum habituum, ob quos laudamur vel culpamur. Sed primum subjectum libertatis est voluntas, non appetitus sensitivus, Ergò etiam voluntas erit primū Subjectū habituum moralium. (3) Si subjectum virtutis Moralis principale esset appetitus sensitivus, sequeretur, etiam bruta animalia esse virtutis capacia. Posterius est absurdum, Ergò & prius. Interim tamen sensitivus etiam appetitus Virtutem Moralem suo modo recipit, quando corrigitur ita, perficiturque in homine, ut voluntatis imperio non invitus pareat, & quod voluntas jubet, expedite in se suscipiat, promteque exequatur. Prolixius hanc Controversiam qui legere cupit, adeat *Gregor. de Valentia tom. 2. disp. 5. qu. 2. Ebelium in Aphor. Metaph. disp. 17. §. 270. Wendelinum Philos. Mor. l. 1. c. 3. §. 11. q. 1. Hornejum Phil. Moral. lib. 3. c. 2. p. 294. Matth. lib. 3. Syst. Eth. c. 6. p. 294. Libenthal. Eth. p. 43. Rudrauffum Inst. Mor. part. 3. de Virtute in Genere qu. 2. Stratemannum Inst. Eth. lib. 3. c. 1. qu. 4. aliq;*

§. 9. Hucusque de Genere; sequitur jam differentia, quæ expendit virtutis Moralis rationem formalem. Hæc autem juxta Aristotelem est Mediocritas, quæ quoad nos à recta ratione determinatur, seu ut vir prudens eam definiverit. Nam recta ac sana ratio ostendit tanquam norma & regula singula; secundum hanc definiendam quodcumque videndumque, quid pro infinitâ mutatione circumstantiarum, personæ, loci &c. agere oporteat. Observare hic loci juvat, quod in tradenda Virtutis forma Philosophi magnoperè variant. Sunt enim, qui perhibent, formalem virtutis rationem consistere in extremorum privatione. Nonnulli pro *ὀρθότητι* vel Convenientiâ cum lege naturæ, & recta ratione pugnant. Alii aliam de eâ fovent sententiam. Nos vestigiis ductoris & doctoris nostri Aristotelis insistentes, formalem Virtutis rationem positam esse in Mediocritate persuasi sumus. Quod enim Virtutis forma non possit esse *extremorum privatio*, multis modis probare potest. Etenim (r) entis positivi formam oportet esse positivam, quia partim forma & formatum convenire debent,

B

par-

partim privatio positivum *εἶναι* largiri nequit, cum ipsa in se positi-
vi nihil habeat. (2) quia privatio annumeratur Non-Entibus, & ra-
tionem mali habet, nam re tantum bonâ privari dicimur, nec na-
turam perficit, sed destruit; Virtus autem Ens bonum est, & natu-
ræ perfectio. (3) quia privatio & habitus sunt species oppositæ &
contradistinctæ, nullum autem oppositum sui oppositi forma est.
Cum ergo Virtus habitus sit, privatio, quæ habitui opponitur,
haudquaquam virtutis forma esse potest. Taceo (4) quod in vir-
tute extremorum privatio non detur. Privatio enim
est carentia ejus formæ, quæ ante fuit, vel esse debuit in certo sub-
jecto. Virtus autem extrema non includit, sed semper excludit.
Qui alteram sententiam propugnant, videntur quidem à nobis
dissentire, licet, si rem ipsam spectamus, eandem nobiscum habe-
ant sententiam. Etenim Mediocritas illa, quam Aristot. cum secta-
toribus suis intelligit, nihil aliud est, quàm convenientia cum lege
naturæ & rectâ ratione, & viceversa, illa Convenientia cum lege
naturæ & rectâ ratione est Mediocritas. Id quod ex definitione
sufficiens liquet, quando rationem formalem virtutis consistere
perhibemus in tali Mediocritate, quæ à rectâ ratione denomina-
tur, sicuti vir prudens eam definit. Proinde, ut lex naturæ, o-
mneque illud, quod ex hac lege deducitur, ad rectam rationem à
Philosophis revocatur; ita ea, quæ recta ratio sive lex naturæ no-
bis agenda præscribit, actione quâdam exprimere, nihil aliud sunt,
quam Mediocritati dare operam. Apparet itaque, eandem illos,
si *λογισμαχίαν* tollas, nobiscum fovere sententiam.

§. 10. Quod autem Mediocritas sit ratio formalis Virtutis, ex
eo apparet, quia Essentiam virtutis non solum constituit, verum
etiam ab omnibus aliis eam distinguit. Hinc pulchrè Plutarchus
de Virt. Mor. punct. 12. Eorum, inquit, quæ agimus, unumquod-
que unico tantum modo rectè fit, sicut scopum attingere, unicum
est & simplex, ab eo autem variè excedendo deficiendoque aberrat.
Et paulò post. Ratio motus appetitionis definiens morales in
homine virtutes gignit, quæ sunt Mediocritates inter nimium &
parum, à bruta animi parte proficiscens. Observandum autem
hic loci, quod Mediocritas sive medium non sit unius generis. Pri-
mò

mò enim dividitur medium illud in Medium Negationis & Participationis. Ubi medium negationis dicitur, quod de nullo extremorum participat; quale medium est ternarius inter binarium & quaternarium: Participationis verò, quod de utroque extremo participat, uti tepidum inter calidum & frigidum est. Deinde medium aliud est rei, aliud Personæ. Illud est, quod æqualiter à suis extremis distat. Hoc verò, quod uni extremorum similitudine quâdam propinquius, ab altero remotius est. De medio Virtutis quando loquimur, non intelligimus medium participationis, sed negationis; non rei, sed personæ. Undè aliàs medium rationis dici solet, nò quod nullo modo in re deprehendatur, sed quia non æstimatur præcisè ex conditione & qualitate rei, verùm ex habitudine ejus ad operantem, consideratis variis circumstantiis. Appellatur quoque medium Geometricum per analogiam quandam. Sicut enim in progressione Geometricâ diversarum qualitatum rationes inter se conferuntur, non autem æquales dantur differentiæ, sed rationum solummodò similitudo: pari rationi etiam virtus non ab utroque extremo æqualiter semper recedit, sed sæpè uni vicinior est, quam alteri, habitâ tamen proportione, prout circumstantiæ & occasiones singulares id efflagitant.

§. II. Atque hæc de *Definitione* Virtutis Moralis dicta sunt. Progedimur jam bona methodo ad illius *Divisionem*, quâ de diversæ voluntates distractæque sententiæ veterum olim fuerunt. *Zeno*, *Menedemus Eretriensis*, *Aristo Chius* aliique *Stoici* ut refert *Golius Eth. 2. c. 7.* unam tantùm faciebant, quæ vel nomine vel Objectis solum differret. *Chrysippus* contra innumeras fecit virtutes, ad cujus sententiam accesserunt *Philo Judæus* & *Leo Hebræus*, qui plurimas agnoverunt virtutes, verùm numerum non assignarunt. *Cicero in Officiis* quatuor virtutis species constituit: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam, quem numerum *Doctores Scholastici* cum *D. Ambros. lib. 1. Offic. c. 24. & lib. 5. in Lucam c. 6.* quoque amplectuntur. Nec procul ab his abit *Plato*, quando quinque virtutes proponit: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam & Sanctitatem. *Vendelinus Phil. Mor. lib. 1. c. 6.* duas Virtutis species facit: *Pietatem* & *Probitatem*. Alii alias habent

bent divisiones, quas singulas, ut recenseam, supervacaneum duco. Nos virtutem Moralem *duplici modo* dividimus: Primò ratione *Objecti*, secundò ratione *graduum* in subiecto certo.

§. 12. Ratione *Objecti* iterum multiplex est. Versatur enim vel *circa hominis corpus*, ut (1) Fortitudo, quæ juxta Philosophum Eth. Nic. c. 6. & 7. mediocritatem servat circa ea, quæ metum aut fiduciam animo afferre possunt in adeundis & perferendis laboribus & periculis honestatis & publicæ autoritatis gratia; & (2) Temperantia, quæ in fugiendis & expedendis corporis voluptatibus, quas ex cibo, potu, ac Venere percipimus, mediocritatem servat. Vel *circa sumtus* ut (3) Liberalitas & (4) Magnificentia. Illa versatur circa pecunias modicas, tum dandas, tum accipiendas: *Hæc* circa majores occupata est. Vel *circa honores*, ut (5) Magnanimitas, quæ in honoribus expetendis & fugiendis mediocritatem servat, & (6) Modestia, quæ in honoribus modicis. Vel *circa iram* ut (7) Mansuetudo, quæ circa iram temperandam occupata est. Vel *circa Conversationem*, ut (8) Humanitas (9) Urbanitas & (10) Veracitas. *Humanitas* honestè oblectando qua sermonem, gestum & actionem, mediocritatem observat: *Urbanitas* in ludendo & jocando; *Veracitas* denique efficit, ut id, quod in animo habemus, ore, gestu, factisque candidè profiteamur. Vel *circa Jus seu Contractus*, ut (11) *Justitia*, quæ in rerum distributione & permutatione suum cuique tribuit.

§. 13. Atque hunc numerum esse sufficientem, inde ostenditur, quia nulla virtus Moralis, quæ ad vitam civilem pertinet, & naturâ duce cognosci aut parari potest, datur præter enumeratas hæc. Accedit, quod omnes specie inter se differant. Excipiunt quidem Ethicæ, ut vocant, Christianæ Autores, beneficentiam, pietatem, misericordiam, similesque habitus esse omisso. Verùm his ipsis insufficientiam numeri nobis ostendere non possunt. Beneficentia enim cum liberalitate ferme coincidit. Ad pietatem quod attinet, per illam significatur vel cultus divini Numinis, vel amor erga parentes & liberos. Si prius, non Civilis, sed Theologica virtus est. Si posterius, non virtutibus, sed affectibus bonis annumeratur. Sic quoque misericordia vel pro nudâ animi com-

commotione, vel pro habitu, quo misericordiam exercemus, sumi potest. Si hoc, iterum liberalitas est, Si illud, affectus salutatur. Idem iudicium de cæteris ferendum est, quæ pro augendo virtutum numero allegari solent.

§. 14. Divisionem primam excipit altera, quæ Virtutem Moralem pro diversitate graduum in certo subjecto respicit. Quemadmodum enim, ut verba Picolominei Grad. 3. Phil. Mor. c. 1. mea faciam, ad regiam fortunæ dignitatem necessarium est homini per varios ascendere gradus: ita ad virtutem, bonorum animi Reginam, qui intrinsecus animum format & constituit, per varios gradus ascendere tenemur. *Hinc tres Virtutum Moralium gradus communiter constituuntur.* In primo gradu ponunt *Semivirtutem*: in secundo *virtutes perfectas* collocant: in tertio, qui gradus excellentiæ dicitur, *perfectissimæ Virtutes* locum habent. *Semivirtus* nihil aliud est, quàm dispositio seu via ad perfectum virtutis habitum, quâ appetitum reluctantem & indomitum rationis imperio subjicimus. Et quamvis totidem sint numero semivirtutes, quot sunt virtutes perfectæ, commodissimè tamen ob duplex Objectum, Voluptatem scilicet atque dolorem, ad duas quasi species referuntur, quarum altera Continentia, altera Tolerantia salutatur. Illa Philosopho 7. Eth. Nic. 4. dicitur Semivirtus, mediocritatem fervans in voluptatum cupiditatibus rectæ rationi adversantibus cum dolore quodam & gravi appetitus lucta. Hæc verò, quâ omnis generis molestias & dolores corporis, inordinatique appetitus cum pugna quâdam sensus & rationis sustinemus. *De Virtutibus perfectis* superius actum est. *Heroica* nihil aliud est, quàm maxima virtutum eminentia, quæ nos supra conditionem humanam elevat, & nemini nisi Numinis divini singulari afflatu contingit. Undè divina communiter dici solet, non quod propria sit Deo, sed quod per illam Homines maximè similes Deo se gerant, quodque nemo eâ sit instructus, nisi cui concessa sit divinitus. Quia verò virtus Heroica, ut ex hucusque dictis liquet, est virtus moralis in supremo gradu spectata, sequitur, quod eminentia illa in omni virtute locum habeat, totidemque ejus reperiantur species, quot sunt virtutes perfectæ.

§. 15. Cæterum ipsæ actiones humanæ sufficienter testantur,

B 3

hosce

hosce tres gradus omnem virtutum Moralium naturam absolvere. Etenim omnis actio bona vel ita à rectâ ratione oritur, ut difficulter & cum pugna quadam rationi morem gerat appetitus; vel ita, ut recta ratio & appetitus amicè inter se conspirent & consentiant; vel denique tam egregia est actio, ut omnem hominum sortem singulari quodam virtutis splendore superet. Illa actio hominis continentis & tolerantis est; Ista virtus perfecta: Hæc denique Heroica salutatur. Eruditè hæc de eo loquitur Piccolomine 9 grad. 6. *Phil. Mor. cap. 3.* inquit: *Quoniam homo, ut corpore, ita animâ nudus in lucem venit, & solis à naturâ facultatibus propensionibusque ad Virtutes vel vitia donatus est, præterea in ejus manibus ac facultate positum est, se ad libitum formare. In se autem formando hic trinus consideratur graduum ordo. Primo enim tanquam principium occurrit Continentia ac tolerantia, quibus incontinentia ac mollietates opponuntur: His tanquam Medium succedit Virtus moralis, cui vitium adversatur: Sequitur demum, ut finis, virtus Heroica, cui feritas opponitur sive immunitas. Continentia & ejus oppositum hominem vel rectâ vel perperam parant & efficiunt: Virtus Moralis & vitium hominē civilem vel formant vel deformant. Virtus Heroica & feritas hominem vel elevant supra communem civilemque conditionem, vel deprimunt ac depellunt. Incontinentia rationem rectam non sequitur, vitium rationem depravat, feritas penitus rejicit & labefactat: Incontinentia operatur contra prælectionem, vitium cum depravat à electione, feritas per impetum perturbationis omnem consultationem ac prælectionem excludens.*

§. 16. Quæ hucusque de Virtutibus diximus, ea omnia quando opposito modo intelligantur, faciunt ad explicationem ipsius vitii. Et quamvis natura vitii ex virtute possit cognosci, attamen confusa solum, non autem distincta notitia est. Hinc, quia opposita, ut est vetus Canon, juxta se posita, magis elucescunt, paucis naturam vitii complectemur.

§. 17. Habere autem vitium à vitiando denominationem suam, notius est, quam ut à me debeat exponi. Non tamen vitium naturale hic intelligitur, quod ordini naturæ est contrarium; nec artificiale, quod regulis artis repugnat; neque illud quod à corruptione naturæ est, nosque ad malum solummodo proclives reddit; Sed morale, quod ex affectuum impulsu oritur, cum quis malè aut protervè agit cum electione & plenissimâ deliberatione ex assue-

assuefactione diuturnâ, ita, ut in actionem mâlam non tantum consentiat, sed etiam voluptatem ex eâ capiat. Græcis dici aliàs *κωνία* solet, Latinis extremum, item extremitas.

§. 18. Hinc *Vitium* hoc *Morale* definitur per *Habitus eligendi ea, quæ à mediocritate vel excedendo vel recedendo aberrant.* Quare vitium dicatur *Habitus*, ex definitione virtutis satis sufficienterq; cognosci potest. Quemadmodum enim *Virtus* est *Habitus eligendi ea, quæ bona sunt, & observandi mediocritatem in rebus omnibus; ita contra vitium est habitus eligendi mala, sive sectandi ea in vitâ, quæ à modo & mediocritate aberrant.* Esse verò habitum *proæreticum* sive *electivum*, ex eodem fundamento liquet. Ut enim virtus non est, si vel semel, vel casu quis rectè agat, sed electionem bonam in animo esse oportet: pari ratione nec vitium propriè est, ubi quis vel semel, vel affectu, vel imbecillitate peccat; sed cum ita comparatus animo est, ut, quod facit, deliberato faciat, & actionibus ejusmodi assueverit. *Tum demum enim, ut sint verba Horneji Phil. Mor. l. 3, cap. 3. de nat. vit. vitium adest, ubi consultò & plane deliberato animo mala perpetramus.*

§. 19. Ratio formalis vitii consistit in *recessu à mediocritate virtutis.* Sicut enim virtus ex *Aristotele* definita fuit per mediocritatem; ita quoque ratione & vi oppositorum, quorum eadem est ratio, vitium est describendum, & à virtute discernendum, per recessum seu aberrationem à mediocritate. Possumus autem *duplici modo* à mediocritate aberrare, excessu & defectu. *In excessu* peccamus tunc, quando actiones, quæ certis limitibus inclusæ esse debebant, ita superantur, ut id, quod sub moderatione virtus exigebat, vitium immoderatè præstet. *In defectu* verò erramus, quando actiones virtutis prorsus formidamus atque seponimus. Ac æstimari quidem excessus iste atque defectus non præcisè ex æquali à virtute distantia debet, verum ex ipsius mediocritatis naturâ, in quâ virtutem consistere asseruimus. Quæ, quia non tam rei, quam rationis est, excessus quoque & defectus illi hîc intelligendî erunt, qui mediocritati isti opponuntur. Obiter hîc notabis, quod illi, qui rationem formalem virtutis faciunt *ὁρδότητι* seu conformationem cum lege naturæ, vi oppositorum vitium definiant per carentiam seu defectum illius conformitatis atque rectitudinis, non verò per aberrationem à mediocritate, sed ut è supra dictis liquet, à nobis non nisi in verbis discrepant, sententiam eandem fovent.

§. 20.

§. 20. Atque ixe excessus & defectus ut plurimum *duo vitia*, quandoque *unicum* tantum constituit. Duo distincta vitia oriuntur, quoties actiones distinctæ sunt, quarum una tantum excedit, altera tantum deficit. Sic qui timidus est, deficit tantum, scilicet à fortitudine; qui audax, modum solummodò excedit. Uno autem vitio comprehenduntur tam excessus, quam defectus, quando una eademque actio plus & minus habet. Tale vitium est Injustitia. Qui enim injustè agit, is una actione non solum excedit modum, verum etiam deficit, quia plus boni sumit, & minus tribuit alteri, quam debebat; vel minus mali ipse tolerat, plus alteri relinquit. Atq; hæc *oppositio*, ut omnis alia virtutis cujusvis & vitii, privativa est. Ut enim virtus est principium actionum, honestati & legi naturæ conformium; sic vitia istarum actionum principia dicuntur, quæ conformitate illâ destituuntur. Cum itaq; virtus, quatenus est talis, ponat illud, quod vitia, prout vitia sunt, auferunt; sequitur utique, quod virtus & vitium inter se privativè opponantur. *Extrema* verò *contrariè* inter se opponuntur. Sicut enim inter duos actus malos qui maximè sub uno eodemque genere distant, contraria solet esse oppositio: ita eadem est inter duos habitus, qui ejusmodi actionum principia dicuntur. Conveniunt quidem duo ista vitia, si formaliter & ratione *ἀπὸ τῆς ἑτέρας* illa spectes, quia formalis ratio vitii privativa est; materialiter verò si considerantur, quatenus sunt qualitates longissimè distantes, contraria gaudent oppositione.

§. 21. Cæterum quod ad *divisionem vitii moralis* attinet, illa omnia in memoriam revocanda sunt, quæ superius de Divisione Virtutis monuimus. Sicut enim virtus aliter dividebatur ratione *Objecti*, aliter ratione *Graduum* in certo Subjecto; eandem divisionem vitia quoque admittunt. Si respicimus diversa Objecta, tunc alia vitia respondent fortitudini; alia temperantiæ, alia liberalitati, alia magnificentia &c. Quod si verò *gradus* vitii moralis consideramus, *tres* admittit gradus, uti ex opposito Virtus totidem habebat. In primo constituuntur semivitia: in secundo ipsa vitia ponuntur: tertius denique virtuti Heroicæ opposita vitia sistit.

Plura non adjicimus.

*Deo Virtutum moderatori sit laus
& Gloria.*



ULB Halle
003 620 00X
3

sb.

17







43.
Q. D. B. V.
DE

VIRTUTE MORALI,

DISSERTATIONEM
Adspirante Numine Sanctissimo

In
Illustri Leucoréa,

PRÆSIDE

M. ADAMO Erdmann MIRO,

Adorfia Varifco,

Publicæ φιλοσοφείων συζητήσε
exhibebit

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS Reibstahl

Tschornvitz. Sax. Phil. Cand.

d. 14. Octobr. A. M DC LXXXII.

WITTENBERGÆ,
Typis Viduæ Brüningianæ.